

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8866

Auteur(s) : Jean Ier, Alençon (comte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1188, 28 avril

Lieu d'émission : Saint-Rémy-du-Val

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Jean [Ier, comte d'Alençon], confirme que Raoul, fils de Philippe de Couesme, sa sœur Aois et son mari Robert de La Ramée, ont concédé toutes les donations faites par leur père, Philippe de Couesme, à l'abbaye de Perseigne.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° CCCXLVI, p. 193-195.

Texte d'après a

Ego Johannes filius Guillelmi comitis Pontivi notum fieri volo presentibus et futuris quod Radulfus filius Philippi de Cosmis et soror ejus Aois et Robertus de la Ramee maritus ipsius Aois in presentia mea laudaverunt et concesserunt ecclesie B. M. de Persenia et ejusdem loci conventus libere et absque terreno servitio jure perpetuo possidendas omnes donationes et elemosinas agrorum pratorum decimarum quas prefate ecclesie fecerat Philippus de Cosmis pater ipsius Radulphi et predicta Aois. Si quis autem distinctius scire voluerit que et quanta idem Philippus predictae ecclesie in elemosinam dedit, hac designatione scire poterit. Primo igitur dedit et concessit prefate ecclesie tres sexteras terre juxta viam que ducit ad Roisse inter grangiam de Monte Populano et sanctum Michaellem de Planicie, pro qua donatione accepit idem Philippus a fratribus Persenie XII solidos cenomanenses et uxor ejus vaccam. Dedit preterea idem Philippus prefate ecclesie terram ad dimidium modium seminis que est inter Sanctum Michaellem et Uncinetas, et grangiam de Monte Populano et habuit de caritate monachorum Persenie XL solidos cenomanenses et uxor ejus tres solid. et duo filii ejus XII denarios. Idem postea Philippus ad religionem veniens, tam pro se quam pro filio suo Radulfo in abbacie educando dedit prefate ecclesie terram de Cruce et terram Vallis molendini de Chahagneio et suam partem vallis Avenarum tam in terris quam in pratis et quidquid omnino de feodo ejus erat citra ductum aque de Semelle sive ex proprio sui ipsius patrimonio, sive ex matrimonio uxoris sue. Dedit etiam et concessit prefatis monachis de Persenia ultra ductum aque terram et pratum que sunt juxta aquam et quicquid omne de proprio suo jure et de feodo suo erat inter ductum aque et Plesseium de Cosmis et similiter quicquid habebat inter Burgum Regis et predictum Plesseium de Cosmis, similiter et campum de Valle sendrum. Concessit etiam idem Philippus prefatis monachis de Persenia XXIII solidos super campum quem de eo tenebat Garnerius Rossel, quem campum postea Radulfus filius Philippi et filia ipsius Aois et maritus ipsius Aois Robertus de la Ramee dederunt et concesserunt ex toto monachis de Persenia pari consilio acceptis ab eisdem monachis XVI solidis cenomanensibus. Item Girardus clericus filius Philippi de Cosmis dedit et concessit ecclesie B. M. de Persenia medietatem prati Avenarum concessu Philippi patris sui et fratrum suorum et sororis sue Aois. Sciendum

preterea quod Matheus Turmel maritus predicte Aois consilio et assensu uxoris sue et Radulfi fratris uxoris sue dedit et concessit sepedicte ecclesie de Persenia terram de Genevrea et tres campos qui sunt prope haiam Gallinarum et pratum quod est juxta pratum Willelmi de Cosmis pro quo habuerunt XV solidos cenomanenses. Sciendum etiam quod idem Matheus Turmel consilio et assensu uxoris sue Aois et Radulfi fratris ipsius Aois dedit et concessit abbacie de Persenia tuscham Radulfi et juxta ipsam terram ad quatuor sextarios seminis et inde acceperunt de caritate predictorum monachorum quatuor libras cenomanenses. Sciendum preterea quod Radulfus totam decimam suam de Uncinis sicut pater ejus Philippus possederat eam, et eidem Radulfo filio suo in elemosinam concesserat, dedit libere et concessit in presentia mea sepedicte ecclesie de Persenia in perpetuum voluntate et assensu patris sui Philippi et sororis sue Aois et mariti ipsius Aois Roberti de la Ramee et filii ipsorum Alani et duarum filiarum suarum. Pro hac autem decima habuit idem Radulfus 43l. et decem solidos cenomanenses, et preter hoc monachi de Persenia ipsam decimam devadiaverunt a Bartholomeo de SanctoRemigio de centum solidis cenomanensibus et a canonicis SanctiJuliani cenomanensis de LX solidis cenomanensibus. Hec omnia que in presenti carta notata sunt et omnia omnino quecumque monachi de Persenia eo anno quo hec carta facta et confirmata est de feodo Philippi de Cosmis vel patrimonio ejus vel matrimonio uxoris ejus possidebant tam terris quam in pratis et ipsam decimam de Uncinis concesserunt et confirmaverunt abbacie de Persenia in perpetuum libere possidenda predictus Radulfus et soror ejus Aois et Robertus de la Ramee maritus ipsius Aois et filius eorum Alanus et due filie eorum. Ego autem paci et quieti fratrum in abbacia de Persenia Deo servientium in posterum providens, ut hec omnia inconcussa et inviolabili firmitate permaneant sigilli mei auctoritate presentem cartam munio et confirmo. Testibus his domino Willelmo filio comitis, Juhello de Meduana, Richardo de Erabulis, Girardo de Besseria, Gaufrido de Milonio militibus, Gervasio capellano comitis, Gaufrido de Antenosia, Thoma Carnifice, Petro Bellonepote, Gaufrido Archerio, Petro Rocol, Hugone de Choornel, Willelmo Siceo, Gaufrido Bogis, Johanne Hai, Willelmo de Cortrembleio, Rogerio de Cortrembleio, Roberto de Antenosia, Willelmo Rufo, Adam abbate presente, Willelmo ejus cellarario et pluribus aliis. Datum est hoc scriptum anno ab incarnatione domini M° C° LXXX° VIII° apud Sanctum Remigium. IIII° idus maii. Qui contradixerit anathema sit a Deo. Amen.